Vindiciæ Horatianæ

sive

De Horatii Carminum I. 1 et I. 20 contra Perlkampium

Disputatio.

Scripsit

JOH. GUST. EK,

Eloqu. et Poës. Prof.

Pro Laurea

Disputaturus Publice Defendet

CHRIST. GUIL. BLOMSTRAND,

Philos. Cand., Smolandus.

In Auditorio Carolino die XI Juni MDCCCL.

P. II.

Lundæ,

typis Berlingianis,

MDCCCL.

tigerit in cursu equorum æmulantes curru prudentissime meta tenus flectendo ὀλυμπιονίκας fieri palmaque donari. — Sic ea quoque tollitur difficultas, qua commotus BENTLEIUS pro *evehit* rescripserat *evehere,* quod, si ita jungeretur *palmaque nobilis evehere ad Deos* cet., id sibi videbatur adsecutus, ut posset *hunc* (v. 7), *illum* (v. 9) eodem modo, quo *quos* (v. 3) ad illud *juvat* referri. Quid enim impedit, quominus, ut paulo ante *juvat* et *ad Deos evehit* conjunximus, sic hoc loco conjunctà cogitemus: *hunc juvat et ad Deos evehit, si mobilium* cet quod ad priora illa dicendi genera facili negotio revocatur, si ita: *Hunc juvat et ad Deos evehit a certante mobilium Quiritium turba tergeminis honoribus tolli.*

Admonet me locus, ut, antequam ulterius progrediar de ὑπέρκρισι Peerlkampiana judicaturus, quomodo intelligendum sit illud, de quo magna et fuit et est quoque dissensio: *terrarum dominos evehit ad Deos,* dicam aliquid. Nonnulli enim, etiam ex recentioribus, *terrarum dominos* objectum faciunt verbo *evehit,* obliviscentes *metaque evehit* poëtarum more dici posse, quasi ex superioribus nihil esset tenendum pro: *quosque meta — evehit.* Hæc ratio placuit DUENTZERO et DILLENBURGERO, quorum uterque his quatuor annis scripsit, hic tamen cautius aliquanto egit ita exponens: *evehit ad Deos* quasi sint facti *terrarum domini. Lucianum* quod testem adhibent Phars. VIII. 208.

Terrarum dominos et sceptra eoa tenentes

reges adpellantem *terrarum dominos,* nihil prorsus efficiunt. *Ovidius* enim, qui ab Horatii ætate multo minus aberat, *Deos* ipsos *terrarum dominos* facit, ex Pont. I. 9. 36:

Terrarum dominos quam colis ipse Deos.

Alia igitur via incedendum est, quum in utramque partem possint exempla contraria adhiberi. Equidem censeo eam maxime ob causam ita conjungendum esse *Deos terrarum dominos,* i. e. *Deos, qui sunt terrarum domini,* quod alterum si jam essent *(terrarum domini)* non

multum sane adderetur honori, quum dicerentur *ad Deos evehi.* Vides igitur, ratione illa *terrarum dominos* et *Deos* interpretando sejungentium adeo debilitari vim ejus, quod sequitur, ut vix addito opus sit et satis fuerit ita dicere: *terrarum dominos* i. e. omnium hominum potentissimos et inclytissimos *facit.* Atqui haud sane quisquam negaverit in illo *evehit ad Deos* summam aucti honoris vim inesse debere. Itaque melius esset sententiæ consultum ab eo, qui objectum esse vult *terrarum dominos,* pro *terrarum dominos* si vellet et per metrum liceret ita rescribere: *terrarum* INFIMOS *evehit ad Deos.* Liceret certe ita:

Ad divos hominum provehit infimos.

Sequitur versus sexti a PEERLKAMPII non facta, sed rogata transpositio, quæ ita demum, si priora illa, quæ mutata voluit, nobis probasset, necessaria videretur. De ea igitur tacere licet.

Tum versum nonum et decimum ejicit, quia nescit, quodnam studium significetur et quia vix *horreum,* quamvis magnum possit messes Africæ continere, sed *horreis* opus sit; *proprio* vero *horreo* quare dictum sit, non magis videt, quod otiosum sit epitheton, sive *proprium* expones *non conductum,* sive *privatum,* ut discernatur a *publico.* — De studio quod dubitat, facile quisque videt de *agricultura* eaque magna et copiosa agi, non aut de *mercatura,* aut de *divitiis.* Quod vero statuit hunc, qui frumenta Africæ congesserit, satis divitem esse nec conditiones Attalicas desiderare, hoc nihil est. Sunt enim, qui ipsa frumentorum copia delectentur, non id potissimum spectantes, quantam pecuniam ex iis facere possint, iique non magis absurdi, quam avari illi, qui nullam in suam aliorumve utilitatem pecunias coacervant; utrique id quærunt, quo oculos pascant. Habendi, non fruendi cupiditate tenentur. Nec tamen est minor eorum voluptas, quam aliorum, qui suis bonis utuntur. *Horreis* vero quod opus fore contendit,

satis futile est argumentum, quum præsertim sonus exiens duorum deinceps versuum insuavis fieret, si ita:

Illum si propriis condidit HORREIS
Quidquid de Libycis verritur AREIS.

Miror vero, qui plura *horrea* propter ingentem frumentorum copiam requirat, non eidem *agros patrios*, quos aliquis *sarculo* findat, quod agriculturam admodum tenuem ostendit, displicere, *agrum patrium* vel, si Diis placet, *agellum* necessarium videri. *Proprio* denique non tam in horreo manentem, sed ad latifundiorum proventum referendam *possidendi* vim habere arbitror; quod dicendi genus non est a poëtarum libertate alienum.

Versus 29—35 non nego aliqua laborare difficultate. Primum enim, nisi quis paulo accuratius attenderit, v. 29, 30 haud dubius sibi poëta videtur et corona hederacea non solum dignus, sed reapse ornatus; tum vero v. 32—34 dubitare tamen incipit, num sibi Musas habeat propitias; deinceps v. 35, 36 et illam confidentiam et hanc ad Musas adpellationem relinquit, Mæcenati omnia permittens. Hanc omnem difficultatem quasi virgula divina sibi sustulisse videtur PEERLKAMPIUS duobus versibus ejectis, iis scilicet, qui molestissimi essent propterea, quod vel ante Musarum invocationem suo, vel post Mæcenatis judicio plus quam ipsis Musis tribuere poëta visus esset. De hac re satis intricata aut silent interpretes, aut, verba quum faciunt, nihil explicant. Mihi consilio totius carminis, cui propositum est alia aliorum hominum studia atque voluptates exponere, videtur optime convenire, si illud *Me dis miscent superis* ita intelligatur, ut sit hæc ceterorum studiis expositis addita ipsius poëtæ voluptas, varietatis causa paulo aliter verbis significata. Itaque censeo *me dis miscent superis* omnino respondere prioribus illis *sunt, quos juvat et ad Deos evehit;* quo fit, ut *hederæ* non intelligendæ sint, quas sit adeptus, sed quas adepturum se esse speret. Idem censeo versus 30—34 magis

et proprie et poëtice interpretandos esse, quam vulgo interpretantur. Itaque quum alii putant illud: *me gelidum nemus . . . secernunt populo* dictum esse hominis vulgum molestum atque rudem, ut se multo inferiorem, despicientis; alii hominis, qui se sentiat vulgo longe beatiorem; ego ab his dissentiens poëtam intelligo coetus hominum vitantem, in nemore opaco, ubi tibiam Euterpes lyramque Polyhymniæ sibi videtur audire, nymphas satyrosque et reliqua numina agrestia videre, huc illuc vagantem. Quod vero dubitanter de Musis canentibus dicit, idcirco dicere puto, quod sciat, animum suum non semper et ubique illi cantui patere. Id vero nescit, rectene an secus hederæ sibi poscat ornamentum, jure an injuria sibi Musas aliquando propitias existimet, i. e. num id, quod sibi in luco et solitudine videtur et audire et videre, aurium et oculorum sit ludibrium, an aliquam habeat veritatem: et hæc omnia Mæcenatis judicio permittit. Habes igitur hanc totius loci expeditissimam sententiam: Equidem poësis studio delector: in gelido nemore solus ambulo cantus Musarum auscultans. Tu vero si dignum poëtæ lyrici nomine me existimaveris, altiores spiritus sumere non dubitabo. — Poterat quidem, si nihil aliud, quam, multis multorum studiis propositis, quid ipse sequeretur, dicendum esset, hoc ita efferre: alii quum vinum, venationes, frumentorum copiam, pecunias, honores, vincendi gloriam plurimi faciunt, ego Musarum teneor amore beatumque me sentio. Ita vero hoc nihil ad Mæcenatem. Cui quum dicare vellet non modo hoc carmen, sed carminum duos priores libros, vix aut brevius aut potenti amico honorificentius fieri hoc potuit, quam adjectis duobus ultimis versiculis, quibus et significat, se Mæcenatem facere poësis suæ judicem, et quanti facturus sit judicium, non dissimulat.

Alio, si opus est, exemplo monstrabimus, Peerlkampium, quanto longius procedat, tanto fieri audaciorem. Omitto, quod qui ex primo carmine septem versus spurios censuit, in secundo quatuor et viginti damnavit i. e. 5—12, 17—24, 26—30, ita ut priorem partem illius

versus *(Imperi rebus)* cum posteriore hujus parte *(venias precamur)* conjungat; in tertio duodeviginti: 15—20, 25—36; in quarto duo tantum (2 & 3); in sexto extremos octo versus; in septimo rursus duo (6 & 7); in duodecimo sedecim: 33—48; et in multis præterea multos Horatio indignos judicavit. Ad vigesimum vero carmen quum pervenit, tantopere crevit fastidium, ut totum carmen aspernetur, pro carmine Scholastico habens, cujus thema fuerit: *Horatius Mæcenatem invitans metro Sapphico.* Carminis vero argumentum satis inique et prope insidiose exponit ita: Potabis Sabinum, quod ego in testa condidi die quodam tibi læto o Mæcenas. Tu bibes Cæcubum et Calenum, ego nec Falernum habeo nec Formianum. Quod quum factum est, hoc neque urbanum esse censet, nec in quo cernatur aut ornatus elocutionis et elegantia aut ingenii vis et ubertas. Sunt tamen, qui ab hoc Peerlkampii judicio ita totum coelum distent, ut elegantiam, quam ille desiderat, non modo non deesse arbitrentur, sed etiam majorem, quam vulgo homines concedunt, sibi subtilius quærendo videantur reperisse. In his Valckenaerius, qui sua lingua, quod non facile reddideris, adpellat *un élégant impromptu.* In his etiam Duentzerus, qui de carmine nostro fortasse nimis honorifice prædicat, quum ita more suo interiorem et magis reconditam, quam se primum invenisse putat, carminis rationem in medium proponit: Die Idee unseres bisher in seiner wahren Schönheit noch nicht erkannten Gedichtes ist: Glücklich, wer sich zu beschränken, den Geist von ungemessenem Streben nach Hohem abzuhalten weiss — eine Tugend, die so selten ist und um so grösser erscheint, je eher der Entsagende, wenn er wollte, Glanz und Ruhm erlangen könnte". Meum vero si judicium requiris, vix dicere possum, quantum abhorream ab illorum ineptiis, qui nihil umquam patiuntur dicere poëtam simpliciter et directe, nihil nisi ita, ut præter communem illum et omnibus patentem

lateat aliquis altior sensus, quem difficile sit deprehendere. Quasi vero poëtæ ne verbum quidem facere liceat, quod non et blandiendi suavitatem habeat et cogitandi de rebus, quæ sunt in vita bominum, subtilitatem. Ex hac ipsa perversitate hominum semper et ubique ideas (ita enim ajunt) sublimiores in poëtarum veterum carminibus etiam minimis odorantium, ortum est, ut assolet, contrarium vitium eorum, qui non modo remotiorem illam sententiam non agnoscunt, sed ne eam quidem, quæ in promptu est, si quando aut minus accurata videbitur aut ad simplicitatem sermonis quotidiani aliquanto propius accedens, poëta dignam censent. Utrorumque commune est, quod nihil concedunt festinationi poëtæ, qui et convivium et carmen si sit subito adparaturus, ab amico et conviva sperare possit modici etiam carminis excusationem; a criticis vero et commentatoribus non item.

Jam vero singula si spectamus, Peerlkampium hæc maxime movent. Primum *canthari,* quod majora essent pocula, et ab iis tantum, quibus modica non sufficerent, usitata. Quid autem? Mirumne est, si, qui ex insperato Mæcenatem habeat convivam, velit significare, hanc solito majorem lætandi causam etiam majora pocula requirere. Annon nos quoque, major quum esse debet hilaritas, ex plenioribus, interdum etiam ex majoribus, bibimus poculis? Nec vero id negligendum, *cantharos* illos, qui tamen *modici* dicuntur, vix potuisse pocula esse *non modica.*

Proximum, quod displicet Peerlkampio, est *Græca* illa *testa,* quæ, si *Cumana* intelligenda est, satis obscura ei videtur adpellatio. Hanc vero rem omnem et veteres scholiastæ et eos secutus Cl. Mitscherlichius ita expedivit, ut nihil addendum censeam. — Tum dubitat de *plausu* illo Mæcenati *in theatro dato,* quod tacent Historici. At dubitandum non erat concedenti verum esse posse, quod adnotavit Comm. Cruqu. *Clari viri et populo grati in theatro et publicis spectaculis excipi solebant magno populi plausu et acclamatione.* Quod enim

addit, hoc si fieri *soleret*, et si Mæcenas frequens in theatrum ventitaret, nihil inde effici de vini antiquitate, hæc mera est cavillatio. Nisi argutari mallet vir doctissimus, facile videret, tempus aliquod singulare his verbis significari, nec deesset causa statuendi non nisi perraro accidisse, ut in theatrum veniret Mæcenas. Quod tempus significetur, ex Carm. II. 17 (cujus huc quæ pertinent, fortasse ut sibi constaret, PEERLKAMPIUS damnavit) suspicari certe possumus, si non definire. Adparet enim, hoc Mæcenati obtigisse, quum a gravi periculo liberatus in theatro primum in conspectum populi venisset. Atque etiamsi sæpius ventitaret, quis non videt, populum, intranti adplaudere solitum, multo magis tum adplausurum fuisse, quum rursus conspiceret, quem aliquamdiu desiderasset, præsertim si gravior aliquis morbus sempiterni desiderii metum attulisset.

Deinceps PEERLKAMPIUM *jocosa Vaticani montis imago* dupliciter offendit, primum quod *imago montis* nihil aliud esse possit, quam *imago vocis montis*, tum quod voc. *Vaticani* antepenultimam habeat brevem, quod aliter esse debere statuit, ex antiquissimo oppido *Vatica* hoc Adjectivum deducens. — Jam vero quod negat *imaginem montis* posse aliam quam *imaginem vocis montis* intelligi, oblitus esse videtur vir doctissimus, *Echus nymphæ*, quam Romani *jocosam imaginem* adpellarunt, posse montem aliquem domicilium cogitari. *Lucretium* quod adhibet soni repercussi causas docentem (IV. 548 sequ.), nihil sane efficit, quum longe alia sit causa ejus, quem carmine didactico oporteat docere, alia ejus, qui ex consuetudine populari loqui possit. Præterea ita tantum nobis probaret sententiam suam de *imagine montis*, si *echo* ut intelligeretur, necessarius esset Genitivus objecti, sive *vocis* esset, sive aliquid simile. Hoc vero aliter esse didicimus ex *Carm.* I. 12. 3, 4 *Cujus recinet jocosa nomen imago?* ubi eodem modo et absolute ponitur *jocosa imago* et tamen non modo *echo*, sed *echo nympha*, de qua PEERLKAMPIUS non videtur cogitasse, signi-

ficatur. — De antepenultima correpta vocis *Vaticani,* qui paulo ante testimonia historicorum desideraret in *plausu* theatrali, non debuit *Vaticæ* oppido, *licet* (hoc enim concedit) *apud historicos illius oppidi mentio non fiat,* tantam vim tribuere, ut ne liberum esset Horatio vocabulo *Vaticani* ita uti, ut suum metrum postularet. Equidem arbitror, antepenultimam a *Juvenale* demum esse productam, quod non aliter posset metro ipsius adplicari.

Illud: *Cæcubam et prelo domitam Caleno Tu bibes uvam* non recte se habere in eodem carmine, in quo ante dictum sit: *Vile potabis Sabinum,* Peerlkampio adsentior, sed errorem librarii suspicor in illo *tu* latere, pro quo si *tum* rescripseris, videbis et unius tantum literæ detractione esse peccatum et facilem fore intellectum. *Tum bibes* i. e. *deinde, postea* l. *domi tuæ quum eris vinum Cæcubum bibes. Apud me ne Falernum quidem est habere.* Cl. Döderleinium in eandem conjecturam incidisse non ante vidi, quam a me facta erat. Ita vero vulgatam lectionem interpretari, ut interpretatus est Orellius: Du magst immerhin sonst trinken, non licet, quum illud *alias* (sonst) non exstet. Quod comparat Orellius *Carm.* I. 7. 1 *Laudabunt alii claram Rhodon aut Mitylenen* eandem in utroque loco futuri vim agnoscens, id in eo est vitii, quod adjectam *aliorum* significationem non curavit.

Vina denique quæ essent alia aliis præstantiora, quod non satis tenuit Peerlkampius, quo modo inter se opponerentur Cæcubum et Calenum ab una parte collocata, Falernum et Formianum ab altera, se negavit intelligere, *quatuor ista vini genera æque cara fuisse et amata* putans. A *Strabone* enim et *Plinio* poterat doceri vinorum omnium nobilissimum ante Augustum fuisse *Cæcubum* eoque viliora, etiamsi non multo, existimata fuisse et *Falernum* et, quod ipso *Falerno* vilius erat, *Formianum.*